



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

Capvt V. Verbum Inumbratum ac Tenebratum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

inficias non jerim, illud insuper ex consequenti inde profectum, ut vana pleræque inter calceandum observationes Christiano indignæ, auerterentur: qualis eorum quos arguit S. Chrysost. hom. 25. ad pop. qui ex Alexandri imagine calceis appressa, bene sibi omnabantur; aut eorum quos memorat Clem. Alex. 2. pædag. cap. 11. amatorias salutationes impressisse calceis; item eorum qui sinistro pedi calceum dextrum immittere, vel è contrario, ducebant religioni: quo in genere Augustum supra modum fuisse superstitiosum, prodit Sueton. cap. 92. & Plin. lib. 1. cap. 17. Nec non aliorum qui præsentissimum ad omnia venena remedium, censebant spere in calceum dextrum, priusquam eo calcearentur, teste Plinio l. 28. cap. 4. Fuerunt etiam qui redirent ad lectum, si inter se calceandum sternutassent, ut S. Augustinus est Auctor, lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. Alij disrptionem corrigiæ cum calcearentur, pessimi omnis arbitrati, desistebant à cæptis, ut est apud Tullium 2. de divin. Et apud Glossam Isaia 5. ad illa verba, *non rumpetur corrigia calcamenti eius*. His omnibus ineptijs, aut etiam peruersitatibus, salutatis signi impressio mederi potuit. Sed vsurpatio vsus prædicti, etiam ubi aniles illæ nugæ locum non habebant, ritus illius finem quem proposui, haud mediocriter firmant.

*Verbum calceantis humanitatis corrigia.*

284. Superest attingenda calcamenti nostri corrigia. Hanc grauissimi Patres, discretè prodant esse humanitatis Christi copulationem cum Verbo. Ita Gregorius Magnus hom. 7. in Euang. & Bernardus 5. de consid. c. 9. in fine: qui hanc corrigiam, fortem adeò ad stringendum Verbum esse statuit, ut nec morte incidente villatenus intercedi potuerit, etsi carne & anima ab inuicem separatis. Hoc tamen respexisse Baptistam, cum se indignum professus est corrigiam calcamenti Christi soluere, quod Bernardus coniecit, non possum admittere. Quæ enim ea esset demissio, profiteri se indignum qui vnionem hypostaticam abrumperet? Commodius S. Gregorius, allusum putat à Ioanne, ad vsum Hebræorum, soluendi calcamentum eius qui nollet propinqui viduam sibi ex lege debitam ducere uxorem; ut perinde faceret dicere Ioannem, *non sum dignus corrigia calcamenti eius soluere*; ac si dixisset, *non sum dignus, sponsam quæ ei debetur, mihi loco eius arrogare, meq; Messia dicere*: Quam expositionem adhibet quoque S. Ambrosius l. 3. de fide cap. 5. & l. de bened. Patriarch. cap. 4. Quamquam ex cap. 4. Ruth, haberi videtur, eum qui solvebat calcamentum, fuisse illum qui tenebat suppositum cognati uxorem ducere, non autem qui ducturus erat, ut Ambrosius & Gregorius videntur supponere; ex eo fortassis ad ita sentiendum adducti, quod mulier sic abiecta, cognati eam ducere recusantis calcamentum solvebat, ex Dent. c. 25. Commodissimè denique in rem nostram idem Gregorius eodem loco, spectari putat à Baptista ligaturam mysteriorum, id est implexitatem vnionis hypostaticæ; quam enodare & expedire, supra vires suas esse agnoscebat Ioannes. Quid verò mirum terrestrem illum & corporatum Angelum, ad huius vnionis arcanum penitissimè perspicendum nequaquam peruasisse, cum etiam Angeli in cælo, (per suas quidem naturales vires, tamen perspicacissimas,) planè circa hoc cæcutiant?

Vsum doctrinæ de Verbo calceato suggerit Petrus Damiani serm. 60. monstrans sicut Verbum calceatum transiit septem riuos flumij Aegypti iuxta Isaia vaticinium c. 21. Ita nobis assumenda esse calcamenta densa & subtiliter cõsuta aquas excludentia, cuiusmodi præsertim est calcens quem sibi Verbum aptauit.

Nos quoque aptemus eum nobis, ut calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, securi procedamus.

CAPVT V.

*Verbum Innumbratum ac Tenebratum.*

285. Videbor egisse incommode, qui in Lege noua, & plenitudinis per Christum inuenerè tēpore, vmbra cogitem atque personam. *Vmbra habuit lex futurorū bonorū*, teste Apostolo Hebr. 10. & exemplaria vmbra; celestium, ut c. 8. præmiserat Nimirum ut est apud S. Macarium hom. 3. 2. [Quomodo corporis vmbra ortum habet ab ipso corpore, carnis tamen officium implere nequit; nam alligat vulnera, escam præbere, vel loqui, non potest vmbra, etsi manat à corpore, præcedentique declarat corporis præsentiam: eodem modo Lex vetus, est vmbra noni Testamenti. Prænuñciat autem vmbra veritatem, non tamen suppledit spiritum. Non poterat enim Moses carnem indutus penetrare cor, & auferre sordida vestimenta tenebrarum: sed spiritus dūtaxat à spiritu, & ignis ab igne, tollit vim perueritæ calgnis. Itaque circumcisio quæ vigeat in vmbra legis, innuit appropinquantem veram cordis circumcisionem; & baptisma legis, est vmbra verum verarum.] Huc respexisse Apostolum, cum dixit, in Christo corporaliter inhabitasse Deitatis plenitudinē, affirmat S. Augustinus 1. 2. de Gen. ad lit. c. 7. his verbis. [Satis est scire, corporaliter aliquid vel propriè dici cū de corporibus agitur, vel etiam transito vocabulo, sicut dictū est, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Neq; enim diuinitas corpus est, sed quia Sacramenta veteris Testamenti appellat vmbas futuri, propter vmbatarum comparisonem, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem Diuinitatis, quod in illo impleantur omnia, quæ in illis vmbis figurata sunt; ac sic quodam modo vmbatarum illarum ipse sit corpus, hoc est, figuratum, & significationum illarum ipse sit veritas.] Sed & Hieron. q. 10. ad Algal. Christum dici corpus, ad distinctionem ab vmbis Iudaicis, affirmat. Videbor igitur, perperam vmbas in legem gratiæ, & ipsum Christum inducere.

*Etiam in Lege noua, vmbra complures.*

286. Nihilominus esse etiam in lege gratiæ vmbas, argumento est, quod tantum in cælo alpitare dies dicitur, & inelinati vmbra; id est amoueri iuxta Gillebertum serm. 27. in Cant. Vnde h. c. tamen vmbra; minores sunt quàm olim per hyemem veteris legis, tamen non prius nullæ sunt: de quo latè & optimè S. Ambrosius 4. Hexaem. c. 5. itemq; serm. 3. in Pl. 1. 8. ad illud *retribue seruo tuo*, sic enim ait. [Hic in vmbra viuimus. Ergo ista vita in corpore, vmbra est vitæ atque imago, non veritas. Denique in imagine ambulat homo, & in regione vmbra; mortis consistimus. Sed si quis non ad terrena oculos mentis intendat, sed ad spiritalia erigat, ut possit dicere, *spiritus, ante facie nostrā (bristum Domini)*; dignus erit qui dicat: *in vmbra eius viuimus*. Christus enim vita est; & idē qui in vmbra Christi vivit, in vmbra vitæ est. Meritoque alibi dicit Sanctus Dominus, *in vmbra alarum tuarū protege me*. Omnes ergo, etiam sancti, in vmbra sunt, quamdū sunt in corpore: non perfectè vident, sed ex parte cognoscunt. Ipse Paulus ait; *ex parte enim cognoscimus*. Ipse vas electionis, cui Christus oculos reddidit, & sua illuminauit gratia, non facie ad faciem, sed per speculum videbat. Et David reuelari oculos suos petit, ut remoneretur vmbra, quæ integrum oculorum impediē obtruncum. Regionem autem hanc, mortuorum esse quis dubitet, cum Sanctus ipse dicat: *Placebo Domino in regione viuorum*. Quia perfectè hic placere non potest, ubi etiam si fieri possit ut sua peccata non habeat, in ipsa tamen mortuorum regione



regione vitando, purificatione indiget, quæ à con-  
taminatione eum regione huius absoluat. In vmbra igitur  
hic vivimus, & idcirco in vmbra custodimus verba Dei.  
Et ut exemplo vivamus, utique ante eramus sub vmbra  
legis, quando custodiebamur homines sabbara, quæ  
sunt vmbra futurorum: sicut hodieque Iudæi, qui ve-  
rum sabbarum non vident, qui exemplari & vmbra  
ferunt. Nos quoque secundum Evangelium nunc vi-  
vunt, vmbra sequimur verborum Dei. Nathanaël  
sub arbore ficu videtur; David in vmbra alarum Do-  
mini Iesu, sperare se dicit; Zachæus in arborem Sy-  
comori ascendit, v. Christum videret. Nobis quoque  
expandit manus suas Iesus, vt totum mundum obum-  
braret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius  
peragimur velantes? quomodo non sumus in vmbra,  
quos crucifixus à malignitate seculi, & corporis  
amore defendit?

Pulchre ite n. Bernardus serm. 48, in Cant. his præ-  
ter cetera. *Sub vmbra eius quem desideraveram sedi. Et*  
*Propheta: Spiritus, inquit, ante faciem nostram Christus*  
*Dominus, in vmbra eius vivemus inter gentes.* In vmbra,  
in gentibus; in luce cū Angelis. In vmbra sumus, quan-  
do per fidem ambulamus & non per speciem. Et idcirco  
in vmbra, quia ex fide vivit. At qui vivit ex in-  
tellectu, beatus est: quia non in vmbra iam, sed in lu-  
mine. Iustus erat David, & ex fide vivebat, cum dice-  
bat Deo: *Da mihi intellectum vt discam mandata tua. &*  
*viam: scilicet successum fidei intellectum, intelle-*  
*ctus revelandum lumen vite, & luminis vitam.* Prius  
est venire ad vmbra, & ita ad id cuius vmbra est per-  
venit; quoniam nisi credideritis (ait,) non intelligetis.  
Vides fidem, & vitam esse, & vitæ vmbra? Et serm.  
in nativ. Deip. de Aqueductu. [Signanter de Christo  
Propheta loquitur, dicens: Spiritus ante faciem nostram  
Christus Dominus, in vmbra eius vivemus inter gentes. Nā  
inter cælestes quidem beatitudines, non in vmbra vi-  
vunt, sed potius in splendore. In splendoribus sanctorum  
(inquit) ex viro ante luciferu genui te. Verum id qui-  
dem Pater: At Mater sanè eundem ipsum in splendore  
non genuit, sed in vmbra, nō nisi ea tamen qua obum-  
brant Altissimi. Merito proinde canit Ecclesia, non  
illa quidem Ecclesia sanctorum, quæ in excelsis & in  
splendore est; sed quæ interim peregrinatur in terris.  
Sub vmbra eius (ait,) quem desideraveram sedi, & fructus  
eius dulcis gutturi meo. Lucem quippe meridianam ubi  
pallens sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, &  
pro plenitudine luminis, vmbra; pro satietate inter-  
tus, gultum recepit. Denique non ait, sub vmbra eius  
quem desideraveram, sed sub vmbra eius quem desidera-  
veram, sedi. Neque enim ipsius expetierat vmbra,  
sed ipsam profecto meridiem, lumen plenum de lu-  
mine pleno.] Non absimilia Philippus Abbas lib. 3. in  
Cantica cap. 21.

Audi denique Origenem hom. 8. in Iosue sub me-  
dium. [Adventus Christi vnus quidem in humilitate  
completus est, alius verò speratur in gloria. Et hic pri-  
mus adventus in carne, mystico quodam sermone in  
Scripturis sanctis vmbra eius appellatur, sicut & Hiero-  
nimas Propheta denunciatur dicens. Spiritus vultus nostri  
Christus Dominus, cui nos diximus, in vmbra eius vive-  
mus in gentibus. Sed & Gabriel cum euangelizaret Ma-  
riam, de natiuitate eius, dicit, Virtus altissimi obum-  
brabit tibi. Propter quod intelligimus, quā plurima  
primo hoc adventu eius adumbrari, quorum comple-  
tio atque perfectio, in secundo consummetur adventu.  
Et Apostolus Paulus dicit, quia resuscitavit nos cum eo,  
similique sedere fecit in celestibus. Et vtique nondum  
videmus credentes, aut resuscitados esse iam, aut in cæ-  
lestibus confedisse: sed adumbrata sunt quidem hæc  
nunc per fidem, quia mente & spe à terrenis, & mor-  
tuis operibus elevamur, & quotidie cor nostrum eri-

gimus ad cælestia & æterna: implebitur autem hoc in  
secundo eius adventu: vt ea quæ nunc fide & spe  
præsumimus, tunc etiam rerum effectū corporaliter  
teneamus.]

Si licet dicere, vmbra nostra simplex est, Iudæorum  
gemina fuit. Nam nunc vmbra nostra, rerum dum-  
taxat cælestium quas adula felicitatis die conspicabi-  
mur, adumbrationes sunt, quales in Ecclesiastica Hie-  
rarchia describit S. Dionysius c. 5. Iudæi verò & remo-  
tè eandem cælestium rerum, & proximè ac imme-  
diatè nostrarum, vmbra habebant. Idem alijs verbis  
sic dixit Method. lib. de castitate apud Photium Cod.  
237. [Lex, figura & vmbra est imaginis, hoc est Evan-  
gelij; Evangelium verò imago futura in secundo Dei  
adventu veritatis.] Origenes insigniter idem versat  
hom. 2. in Psal. 8. ad illud in imagine petra transit homo,  
qui ex Apostolo Hebr. 10. egregie id eruit.

#### Nominatim Eucharistia, & passio.

287. Harum legis gratiæ vmbra prima & præ-  
cipua, ad hoc mysterium spectat. Non me latet Ber-  
nardum loco proximè notato, & sermone in Nativ.  
Virg. de Aqueductu, Eucharistiam proposuisse tan-  
quam vmbra Verbi Dei sub qua vivimus in genti-  
bus, quod ipsum Origenes hom. 3. in Cant. affirmat.  
Et quidem longè diuersissimo sensu, ab eo quem Bru-  
no Andegauensis episcopus, & Berengarius eius Ar-  
chidiaconus, (referente Durando Episcopo Leodiensi,  
Epistola ad Henricum Regem Francorum cuius men-  
tio est in annalibus Ecclesiasticis anno 1035, ac referen-  
te etiam Guimundo l. 3. de Eucharistia sub fine,) per-  
uerissimè cōmentisunt, asserentes non esse in Eu-  
charistia verum & reale Christi corpus, sed eius vmbra  
duntaxat. Patres igitur prædictos, & post eos  
S. Bonaventuram sermone quodam de cœna Domini  
in illa verba Thre. 4. Spiritus oris nostri Christus Domi-  
nus, &c. Fateor vmbra quādam primariam legis gra-  
tiæ in Eucharistia mysterio agnouisse, probè coheren-  
tem cum vera & reali corporis Christi præsentia. Nihil  
tamen inde decedit primariū quem inter omnes nonæ  
legis vmbra, dedimus vmbra quæ in mysterio Incar-  
nationis interuenit. Nam Eucharistia est tantum ex-  
tensio quādam mysterij Incarnationis, vt alibi ex  
Chrysostomo dicendum est: vnde quiddid de Eu-  
charistia dicitur, in mysterium Incarnationis suo mo-  
do æquè cadit.

Admitto præterea passionem & mortem Crucis  
inumbrationem Verbi fuisse, nec tenuem: passim enim  
illa diuini splendoris quasi detritio, & in Scripturis &  
in Patribus vmbra nomine, quæ Verbi lucem nobis  
temperauerit, expressa habetur. In hunc sensum acci-  
pi video à S. Ambrosio celebrem illum locum ex c. 4.  
Threnorum Spiritus ante faciem nostram Christus Domi-  
nus, cui diximus, in vmbra eius vivemus in gentibus. Ita  
enim habet serm. 13. in Psal. 118. in literæ Samech ex-  
positione. [Passionem Domini Saluatoris, prophetati  
liquet & deseri ab Hieremia, non excidium Iudæo-  
rum: quod cum ex alijs, tum ex illo intelligi potest,  
quia in posterioribus habet, Spiritus ante faciem nostrā  
Christus Dominus, comprehensus est in interitu nostro,  
sub cuius vmbra, diximus, vivemus inter gentes. Quid  
hoc manifestius, quando & nomen expressum est, &  
comprehensio inter manus persequentium perfidorum  
est declarata, & vmbra viuificans, & gratia gentibus  
conferenda, descripta est?]

Præterea Iustinus Apolog. ad Anton. post medium,  
qui monstrans vbique insignia Crucis in rerum natu-  
ra proflare, etiam in hominis facie designationem  
quandam Crucis ad modum literæ T. expressæ, atque  
ad id etiam passionis exhiberi, confirmat ex prædi-  
cto



et loco Threnorum; in quo secutus Symmachi & Aquilæ interpretationem, non legit, *Spiritus oris nostri*; sed *statu nostrum*. Verba eius sunt; [Hominis figura non aliter à brutis differt, quàm quod erecta est, & manus expandit, & in facie à fronte protensum nasum præfert, per quem fit respiratio; ut planè forma crucis videatur, quod & Propheta sic indicat: *Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus.*]

Et detestandum quidem est Mahumetis delirium, quo finxit non Christum, sed eius umbram pependisse de ligno, ut Codinus refert in Saracenicis pag. 60. Tamen salua facti veritate quam nequam ille ad umbram & inanem imaginem reuocauit, verum est, umbram Verbi Diuini in cruce suffixam fuisse, ibique expirasse. Nihilominus hæc Verbi inumbratio tametsi perimagna, nec satis vnquam suspicienda, eam de qua agimus, quàmque primariam vocauimus, in Incarnatione factam, non æquauit. Longe quippè maior facta est diuinæ lucis quasi decessio & inumbratio per Incarnationem, quàm per passionem: quia multò plus distat Deus & Incarnatio, quàm hominis iam facti passio. Egregiè hoc ponderauit S. Chrysostomus adducendus cap. 11.

#### *Sed præsertim Incarnatio.*

288. Primaria ergo, nec tantum ordine temporis prima, Verbi inumbratio, est Incarnatio. In quem sensum accipi à non paucis video, illud Angeli, Lucæ 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Signo nonnullis. Hilaris Diaconus qui creditur Autor qq. Veteris & Noui Testamenti, in 1. [Altissimi Virtus, sine dubio Christus est: hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superueniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam, opere suo, efficiens corpus sanctum ex ea in quo Virtus, quæ dicitur Dei Filius, nasceretur: cuius obumbratio in Virginem, hoc est ut de immensitate diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, Virtus Dei esset, qui Dei Virtus, necnon & Deus.]

Origenes hom. 8. in Iosue *sub medium*. [Aduentus Christi, vnus quidem in humilitate complexus est, alius verò speratur in gloria: & hic primus aduentus in carne, mystico quodam sermone in Scriptoris sanctis vmbra eius appellatur: sicut & Hieremias Propheta denunciatur, dicens: *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui nos diximus in vmbra eius viuemus in gentibus.* Sed & Gabriel cū euangelizaret Mariam de natiuitate eius, dicit, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Propter quod intelligimus, quàm plurima primo hoc aduentu eius adumbrari, quorum adimpletio atque perfectio in secundo consummabitur aduentu. Et Apostolus Paulus dicit, *Quia resuscitauit nos cū eo, similisq; sedere fecit in caelestibus.* Et utique nondum videmus credentes, aut resuscitados esse iam, aut in caelestibus confedisse: sed adumbrata sunt quidem hæc nunc per fidem, quia mente & spe à terrenis & mortuis operibus eleuamur, & quotidie cor nostrum erigimus ad cælestia & æterna: implebitur autem hoc in secundo eius aduentu, ut ea quæ nunc fide de spe præsumimus, tunc etiam rerum effectu corporaliter teneamus.]

Nysenus orat. de Christi natu. [Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quid significat arcanus hic sermo? Christus Dei virtus est, & sapientia. Vt ait Apostolus. Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per aduentum Spiritus sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur; sic forma & indicium diuinitatis Dei in virtute ipsius, qui paritur, ostenditur, & imago, & signum & adumbratio, & splendor exemplaris per

admirabilem rerum affectionem demonstrabitur.]

S. Ambrosius serm. 3. in Psal. 118. v. 2. [An nescimus quoniam Verbum Dei veniens in hunc mundum, non sicut Verbum aduenit, quale in principio erat, quale erat apud Deum, sed semetipsum examinauit, formam serui accipiens? Venit in nube leni: & cum esset Virtus Altissimi, obumbravit Mariam, ut transfiguraret corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori gloria suæ.] Et ibidem serm. 5. v. 5. [Hæc vita, in vmbra est. Ideo ut homo Christus Iesus ex Virgine nasceretur, obumbravit Virtus Altissimi matrem futuram, quia in vmbra descendit, ab vmbra incipiens operari salutem hominis, & consummaturus claritate Solis æterni.]

289. Fateor obumbrationem de qua Gabriel Lucæ 1. loquitur, non esse obumbrationem Verbi de qua agimus; sed obumbrationem Deiparæ; cui Spiritus sanctus eo verbo significetur summus maritus; ut bene ad eum locum tractat Franc. Lucas, & nos infra alia addemus, agentes de Christi effusione physica. Ideoque negari non potest, Patres prædictos qui eam obumbrationem ad De Verbum aptant, & in Incarnatione factam dicunt, minus consentaneæ ad sensum verborum Angeli, esse locutos. Tamen eatenus in rem præsentem adducti potuerunt, quatenus quidquid sit de germano sensu loci Lucæ, cum ipsi traxerunt ad sensum quem nunc intendimus; hoc est ad Verbi inumbrationem per Incarnationem, diuino iubare per carnis opacitatem attemperato ac velut diluto; quod commodissime de obumbratione ad Virginem, sed alio sensu quam diximus accommodata, tradit Amedæus Laulan. hom. 3. de Deip. in fine. [Obumbrabit (inquit,) tibi Christus Dei Virtus & sapientia. Ille humanam ex te naturam suscipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non posses, habebit in carnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta à Verbo humanitas obijciat, cuius obiectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.] Pulchre item Richard. à S. Laurentio lib. 3. de Deip. titulo 1. [Obumbrabit tibi, (inquit,) id est vmbra in te accipiet, hoc est carnem leuem, & à peccato immunem. Peccatum enim pondus est, vmbra autem habet figuram corporis, sed non ponderositatem. Caro enim Saluatoris fuit illa nubes leuis super quam Dominus ascendit in sua Incarnatione, Isaiæ 19. quæ Solem lucis æternæ tegebat instar nubis, & lippientibus oculis mortalium temperabat.] Hoc fuscè & eleganter versat Laur. Iustin. l. de casto Connubio Verbi & animæ cap. 2.

Alij Patres egregiè hanc Verbi inumbrationem aut attigerunt, aut tradiderunt, non iam nixi loco illi Lucæ, & verbis Gabrielis, sed alijs locis, & considerationi vmbrae. Origenes hom. 7. in Numeros, tractans populi Dei mansionem in Selmon, sic scribit. [Selmon interpretatur vmbra portionis. Illam puro vmbra dici, de qua & Propheta dicebat, *Spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus: in vmbra eius viuemus in gentibus.* Sed & illa similis huic vmbra est, de qua dicitur; *Spiritus Domini obumbrabit tibi.* Vmbra ergo portionis nostræ, quæ nobis opacitatem præstat ab omni æstu tentationum, Christus est.] Eodem ferè modo de Selmon eiusque notione philosophatur S. Augustinus in Psal. 67. ad illud, *Nine dealbabitur in Selmon*: & addit rationem pulcherrimam, cum Verbum per Incarnationem dicatur inumbrari. [Constat (inquit,) vmbra, luce & corpore. Proinde illud quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, ut vmbra aculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Deo scilicet homo, tanquam lumini corpus accessit: & in eum credentes, vmbra protectionis operuit



operit. Non enim de quali vmbra dicitur, *transierunt illa omnia tanquam vmbrae*; nec de quali vmbra dicit Apostolus, *nemo vos inducit in cibo, aut in parte diei festi, aut nemine, aut sabbatorum, quod est vmbra futurum*; Sed de quali vmbra scriptum est, *sub vmbra alarum tuarum protege me*.] Eadem breuiter id eum locum Hieronymus.

*Analogia inter Incarnationem ac inumbrationem, capita quaedam.*

290. Sed optimè quoque S. Gregorius l. 3. mor. c. 3. qui varias vmbres in Scriptura acceptiones recensens, & monstrans incarnationem in Scripturis quandoque vmbra nomine fuisse designatam, rationem reddit. [Quia enim vmbra non aliter exprimitur nisi per lumen & corpus, virtus Altissimi, Virgini obumbravit, quia in eius vero lux incorporea corpus fuit. Elegerunt idem tractant: Eucherius & Beatus l. 2. contra Elipsum pag. 380.

Idemque voluisse videtur Marius Victorinus sub finem libri primi contra Arium, sic de Christi formatione scribens: Necessè fuit liberationis gratia, omne diuinum, hoc est seminatum spiritum omnium vniuersaliter existentium, & id quo est esse primum hoc est vniuersalem *λογον*, ab infestore hyle & corruptione animi incarnari, in mortificationem omnis corruptionis & peccati. Tenebrae enim & ignorantia animae, disceptat ab hylis potentis, egerunt lumine aeterno in auxilium, ut *λογος* anima, & *λογος* carnis, mysterioris virtutis detrola corruptione, in reuoluentiam & carnes per sanctum spiritum administrationem ad diuinas & viuificantes intell. gentias erigunt cognoscere, fide, amore. Respondit igitur angelus Mariae, & dixit illi: Spiritus sanctus adueniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Hæc duo in motu, quæ sunt *λογος* & sanctus spiritus, ad id ut gratia esset Mariae, edificaretur caro à carne, Dei templum & domicilium aduenerunt: Sanctus quidem spiritus, potentia in motu; generationis enim principium motus: Virtus autem Altissimi, ipse *λογος* est. Virtus enim & sapientia Dei, *λογος* Iesus. Sed de *λογος*, hoc est de Filio, obumbrabit tibi, dixit. Perfectum enim, diuinum, & splendide ut est clarum, non capit humanam naturam. Et hoc significat, & *λογος* caro factus est. Magis autem obumbrationem significat, quod dictum est. *Exinanivit semetipsum*.]

Sed quod idem Marius l. contra Manichæos, scitè dicens creatum, ex sua ratione est propriissimè vmbra, quia est ens luce entitatis, & tenebricitate aliis permixtum, continet à Deo pendens, ut vmbra à soli corpore: Et ut addit S. Chrysostomus, ser. 2. in psalm. 43. quia eo maior videtur creatura, quo à Deo magis elongatur: ei verò approximata, aut nulla est, aut modica; sicut in vmbra. Sole non distito continet. Aptè ergo vmbrae rationem habere dicitur, quidquid inter nos est, ac proinde etiam Verbum ex quo per humanitatis assumptionem ad nos venit. Nimirum vmbra ut vidimus, neque est lux mera, neque meræ tenebrae, sed aliquid ex utriusque adunatione conflatum, ac proinde pendoneum ad rei creatæ sublimitatis significationem. Quod enim S. Bernardus serm. 72. in Cant. ad illud, *dones aspires dies, & inclinentur vmbrae*, optimè tetigit, & pulchrè etiam profecutus est Guericus serm. 3. de natali Apostolorum, quo de vmbra lucis differt, hæc regio est regio vmbatarum. In cælo est mera & pura lux: in inferno, meræ tenebrae. Vnde Iob. 42. 5. vocat eum, *terram miserie & tenebrarum*. In quæ verba S. Greg. 9. moral. c. 46. obseruat, ipsum quoque inferni ignem, fore tenebrosum, quod probat ex tenebris exterioribus in quas exlex & improvidus homines proiectus est: id est, in obscurum ignem: item-

que ex Psalme, qui de damnatis ait, eos non vidisse Solem, quia *supercecidit ignis*. S. Basil. conc. 1. in Psal. 28. eodem aptat verba illa, *vox Domini dividens flammam ignis*. Inter hæc duo extrema, meram scilicet lucem, & meras tenebras, est status noster, qui est status vmbatarum, hoc est lucis & tenebrarum permixtum: ve propterea Iob ibidem, vocet hunc statum, lucis & tenebrarum: *Terminum* (inquit) *circumdedit aquis donec finiantur lux & tenebra*: id est usque ad finem presentis status, qui ex luce & tenebris permixtus est. Alibi vocat lucem *sparsam*. Quæ enim dispersa sunt, non continuantur, sed interpolantur; eoque pacto accepit S. Gregor. 29. moral. c. 13. illud eiusdem Iob *per quam viam spargitur lux*? Quare non incommode, Verbum ad nos veniens, inumbrari dicitur.

*Sigillatim, pars utraque humanitatis Christi, vmbra Verbi.*

291. Hactenus generatim de hac Verbi per humanitatem inumbratione. Possimus verò eandem sigillatim astruere, considerando scorsim utramque humanitatis Christi partem; corpus inquam & animam: utraque enim harum partium, in Scripturis & Patribus, rationem vmbrae per comparisonem ad Verbum diuinum habere censetur. De corpore ita differt S. Ambros. ser. 19. in Psal. 118. *Initio*. [Quasi ostendens Christum Prophetam, dicit, *spiritus ante faciem nostram Christus Dominus comprehensus est in interitu nostro*. In vmbra eius vivimus inter gentes. Et infra: *Bibes* (inquit,) *& inebriaberis, adhuc viscabit iniquitates tuas, reuelabit super peccata*. Quam breuiter aduentum & passionem eius expressit, remissionemque omnium peccatorum; quam apertè congregationem futurarum gentium declaravit. Hinc illud Apostolicum quia *cacitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret*. Veni Domine Iesu, sed iam non in vmbra, sed in Sole iustitiæ. Si vmbra profuit, si passionis tuæ vmbra protexit, si corporis vmbra saluavit, quantum conferre poterit claritas aperta virtutis? per vmbra, lepra curata est. Per vmbra quoque, illius feminae quæ simbriam vestis Dominicæ attigit, sanguis stetit. Per vmbra te vidimus, quando non habebas speciem neque decorem. Vmbra tua, caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum; quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restrinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ diuersarumque passionum incēdia temperavit. Et quid dicam de vmbra Domini, quando & Apostolorum vmbra sanabat? Veniente enim Petro, unusquisque offerebat ægros suos, quos transeuntis Apostoli vmbra, reddidit sanitati. Audi quia caro Domini vmbra erat. *Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & venit in Aegyptum*. David dicit: *Sub vmbra alarum tuarum protege me*. Factus est igitur, exinanitus vmbra mortis, quos Sol iniquitatis exusserat. Nobis quidem, vmbra facta est Christi caro, quoad vmbra effectum: id est ad atcen dum cupiditatum æstum, ac ne velut Sole sub nube torrente propago fortium marcesceret funditus. Prius tamen illa eadem caro vmbra fuit in seipsa, respectu diuini Verbi, quod ea exinanitione & abiectione, decoloratum est, ac inumbratum.

292. Animam verò Christi à carne eius inumbrari, ex eo liquet, quod docet Origenes hom. 3. in Cant. affirmans idcirco dictum esse à Iobo, quod *sicut vmbra dies nostri sunt super terram*, [Quia anima in hac vita, velamento huius crassi corporis obumbratur.] Verum quia non agimus, an anima Christi inumbrata sit, sed an ipsa ad Verbum cui copulata est, habuerit rationem vmbrae. audiendus est Autor libri secundi de Incarnatione apud Augustinum tom. 4. ubi de Christo & eius animæ sanctitate disputat, his præter cætera. [Arbitror

sanct



sanè Hieronimam Prophetam intelligentem quæ sit in eo natura Dei sapientia, quæ etiam hæc quam pro salute mundi suscepit, dixisse, *spiritus vultus nostri Christus Dominus, cui diximus, quod in umbra eius vivemus in gentibus*. Pro eo enim quod sicut umbra corporis nostri inseparabilis est à corpore, & indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit & gerit; puto eum, animæ Christi opus, ac motum qui inseparabiliter inhærebat, & pro nutu eius ac voluntate cuncta perpetrabat, ostendere volentem, umbram Christi Domini hanc vocasse, in qua umbra nos vivemus in gentibus. In huius namque assumptionis Sacramento, gentes vivunt, quæ imitantes eam per fidem veniunt ad salutem. Sed & David dicit, *Atemor esto opprobrii mei Domine quod exprobaurent me in commutationem Christi tui*. Similia mihi videtur ostendere. Et Paulus quid aliud sensit, cum dicit; *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo*. Et quid etiam in alio loco dicit, *an experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus?* Et nunc Christum in Deo dicit absconditum: Cuius rei intellectus est difficilis, nisi talis aliquis indicetur, qualem per umbram Christi à Propheta significatum esse supra diximus. ] Hæc Autor ille, exscribens Origenem 1. petiar. c. 6.

*Umbra horologii Ahas, typus inumbra-  
tionis Verbi.*

293. Ex his ergo perspicue habetur, Verbi Divini per adiunctam ei humanitatem obumbratio aliqua; imò propè infinita, ut optime intelligi potest ex egi- gio discursu Petri Damiani sem. 20. quo in Incarnatione umbram decem lineis progressam, tandemque Solem Iustitiæ renatum, depulsam abiectionem, & umbram delectam, sic demonstrat post expositos varios Verbi Dei quasi saltus pro nobis è cælo ad Virginis uterum, crucem, mortem, ipsūque etiam infernum. Sic igitur ait. [Planè ut nos post se currere faceret, istos pro nobis gradus manifestata per carnem veritas ad nos descendendo disposuit, & quodammodo cuiusdam mystici horologii Sol Iustitiæ Christus, hæc ad nos se inclinando momenta distinxit. Qui nimirum exultavit ut gigas ad evertendam viam, ut nos ei ex corde diceremus: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Et fortasse isti sunt gradus illius horologii, in quo Rex Ezechias umbram reueri decem lineis petijt. Quod videlicet Elaias Prophetæ in signum recuperandæ salutis illius, Dominum invocans, protinus impetrauit. Descenderat itaque Sol, emensis iam decem gradibus horologii, sed per eod- dem gradus iterum redijt. Quod videlicet signum ef- fect, per quod se Rex Ezechias salutis pristina restituen- dum esse consideret: Enimvero nec genus humanum ad incolumitatem, quam amiserat, de sui langoris agrotatione convaluit, quandiu lux vera Christus, de- cem eos quos enumeravimus mystici horologii gra- dus, ad occasum se humiliando percurrit.]

Hæc est una ratio, quam init hic Autor exponendi umbræ descensum in horologio hoc mystico. Subdit verò aliam rationem; hinc item optime spectantem, quam placet non premere. [Quamquam (inquit,) per umbram decem graduum, & aliter supernæ dispensa- tionis possumus intelligere Sacramentum. Diversita- tes quippe temporum quasi quædā distinctiones sunt in horologio linearum. Soli namque Iustitiæ Christo, primus ad nos descensionis gradus fuit, de Deo in An- gelum. Vnde est, quod & per Elaiam magni consilij Angelus dicitur: Et qui cum Iacob loquebatur Deus, Angelus nuncupatur. Hinc est, quod per eundem Iac- ob dicitur: *Dixit Angelus Domini ad me in somnis: Ego sum Deus Bethel, ubi exististi lapidem, & voci vouisti mi- hi*. Nimirum ut idem ipse, qui loquitur, & Deus simul

& Angelus ostendatur. Secundus descensionis gradus fuit in Patriarchis, per quos scilicet ipse Dominus, vnius Dei cultum, ac veræ fidei fundamenta consti- tuit. Tertius in promulgatione Legis, quam & ipse prius, audiente populo, protulit; & postmodum in lapideis tabulis, proprio digito exarante, descripsit. Quartus in Iesu Naue, in quo, sicut nomine, sic & opere degens, in terram repromissionis, populum in- troduxit. Quintus fuit gradus in Iudicibus, per quos nimirum Israelitici plebem & ipse regebat. Sextus in Regibus Iudeorum, quia in eis principaliter ipse re- gnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos ipse & annuntiatus est, & loquutus. Octavus in Pontificibus, in quibus ipse, qui summus est Pontifex, veri, & æteri- ni sui Sacerdotij mysterium figuravit. Nonus autem gradus designatus est in homine. Decimus in Passione. Per hos iaque decem gradus, quasi per umbram Vete- ris Testamenti, Sol Iustitiæ Christus in nostræ morta- litatis descendit occasum: & per eos iterum, post re- surrectionem suam in cælum Victor ascendit, om- nemque illam vestigæ Legis umbram, veritatis suæ, ac novæ gratiæ radijs illustravit; oblecta reuelans, clausa referans, & omnia sub velamine literæ tecta denudans. Et sicut tunc Sol, lineatim quidem, ac morosè processerat; repetit autem ad ortus sui est reuerfus originem; sic nimirum, sic Redemptor noster, ea quæ de Incarnationis suæ mysterio per longa tempora in- ternalla signauerat, in sola resurrectionis, atque ascen- sionis suæ gloria subito patefecit.]

Quæ Galatius ad c. 1. 8. Ila. 40. Tilmanni allegorij Vete- ris Testamenti, de huius umbræ clemento et cō- mentatus, incundum fuisse ait. [Reuerfus est, (inquit) Sol decem lineis per gradus per quos descen- derat, sicut legitur in Elaias. Et quidem quod ad li- ram pertinet, magnum id fuit & singulare: quod ad Spiritum longè amplius, ubi de Sole ipso, ut arbitror, nemo iam dubitat. Neque enim est qui se abscondat à calore eius. Quærenda igitur linea ista decem, per quas descendit & ascendit. Nam qui descendit, ipse est & qui ascendit. Et fortassis ordines decem creaturæ rationalis, liceat suspicari linearum nomine designari: nonem scilicet Angelorum, hominum vnum. Quemadmodum autem per easdem lineas descende- rit vel redierit, diligentioris eget inquisitionis. Nam quod descendit & ascendit, omnibus iam fide- libus est manifestum. Vique adeo siquidem semetip- sum exinanivit, ut non modò minoratus ab Angelis, sed opprobrium hominum & plebis abiectio videretur. An non infra visus est homines descendisse, cum ad in- feros vique pervenit? Vnde etiam (ut quidam ait,) mirum non erat apud superos tenebras esse, cum Sol descendisset ad inferos. Ceterum redijt, & ascendit vnde descenderat. Neque inter homines, vel in vno quolibet Angelorum ordine stetit. Sic decem lineis crevit umbra, dum inclinatus est sol.] Quæ subiicit de solis reditu, & umbræ decremento, quia non spe- ctant ad præsens negotium, missa facio. Sed non est omitendum quod postea addit, quarens cur sol per decem tantum lineas descendit. [Sed quærendum (inquit,) videtur, cum constet duodecim horis diu- num solis cursum constare; cur decem tantum lineas in eodem signo descendisse vel ascendisse dicatur. For- tē enim præter has decem, duæ quædam sunt lineæ, quarum in altera semper stetit, ad alteram non per- venit. Prima siquidem, congruè Divinitas intelligitur, initium diei, fons luminis, & totius deinceps clari- tatis origo. Hanc igitur nunquam transijt, nunquam ab ea descendit Christus Deus noster. Hæc quidem prima linea rationalis substantiæ, non creaturæ, sed creaticis. Ex qua deinceps prodire, quas diximus lineas decem, per quas sol descendens, transijt & ascen- dit. Nam earum novissima Spiritibus fortē malignis congruè



omnino deputatur, in quibus velut crepusculi quoddam diei imitator & noctis perspicax sensus; sed malignos affectus nec omnimodo luce carens intelligentia, sed voluntas nimirum tenebrosa. Cæterum nunquam ad eiusmodi lineam sol peruenit. Nunquam enim ad eiusmodi, vrego arbitror, vel corporeus sol in crepusculo noctis apparuit, nec modò malignis spiritibus spiritualis sol illuxit; sed nec hominibus in eorum foribus damnatis. Vno verbo sensus est, dimissas illas duas lineas, quia duplici ordini intellectualis substantiæ, non profuit Verbi exinanitio atque descensus solus. Non enim Deo, cui nihil deest, ac proinde nemo illi potest propitius fore; Sed neque damnatis spiritibus, & eorum partiaris improborum animabus. Mox enim duas illas lineas pratermissas, interpretatur creaturas insensibiles, & sensibiles rationis expertes, quia illis nihil propitius contulit Christi aduentus: Atque necneque his qui in plantis, vitæ soli vegetatiæ ad dictas transibunt; aut insensibili obtinatione laborantur; vel peccabantur vel bestiar, quicquam proderit diuini Verbi inumbratio, vt Galfredus rectè contempletur. Alter cum Christi descensum & regressum per lineas decem prædictas prosequitur Gillebertus (hæc autor) in altercatione Synagogæ & Ecclesiæ cap. 17.

Quam bona Verbi incarnati umbra, & gratia pro ea.

294. Abiit verò à mentibus & vocibus nostris, inprimis in sensibus hominis, cui peço pro corde fuit, (Macione dico), quem S. Chrysostomus hom. 7. in ep. ad Philipp. Verbum dixisse refert in similitudinē hominum factum, *umbram indutum*. Umbra qua indutum Verbum volumus, est ipsa humanitas, & ex huius fidei doctrina exacta vita, umbra nobis est in gentibus. S. Bernardus serm. 3. in Cant. ad finem, id pulchrè prosequitur verbis illis, *[Spiritus ante faciem nostram Christi]* *Demus, in umbra eius vivemus inter gentes*: quod scilicet videamus nunc per speculū & in enigmate, & postea facie ad faciem. At hanc sanè donec vivamus inter gentes, Nam inter Angelos aliter: quando iam indifferenter omnino felicitate cum ipsis, videbimus eum & nos fieri est, hoc est in forma Dei, & non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidē umbram figuram que dicimus extitisse: nobis autem per gratiam Christi in carne præsentis, ipsam per se illucitece veritatem: ita nos quoque respectu futuri seculi in quodam interim veritatis umbra vivere non negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Et illud, *Non arbitror me comprehensisse*. Quomodo enim non est distinctio eius qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem? Ergo iustus ex fide vivit, beatus excolat in specie. Et ideo sanctus homo vivit in gloria gloriæ gloriatur. Et bona fidei umbra, qua lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim: *Fide mundans cor*. Fides itaque fidem non exstinguit, sed clarificat. Quicquid sanè est istud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fidei sine repositum, in tempore revelandum, & non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis: Denique & mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est & beata que credidisti. Hæc de Christi corpore umbram, que audiuit: *Et Virtus Altissimi obducat tibi*. Nec enim visus umbra, que de Virtute Altissimi formatur. Et verè Virtus in carne Christi, quæ Virgini obumbravit, & quod impossibile erat mortali femina, obiecta tamen iustoluci virtutis corporis ferret præsentiam Maiestatis, & lucem sublineret inaccessibilem. Virtus planè in qua omnis contraria fortitudo debellata est. Et virtus.

Theoph. Raynaud. Christi.

tus & umbra fugans demones, tutans homines; aut cerò virtus vegetans, umbra refrigerans. Vivimus proinde in umbra Christi, qui per fidem ambulamus, & carne ipsius pascimur vt vivamus. Non dissimilia habet serm. de aquæ ducta intro.

Agamus Deo nostro pro hac inumbratione gratias, verbis Nysseni hom. 4. in Cant. ad illud, *Lectus noster umbratus*, quod sic glossat. [Hoc est te cognovit aut cognosceret humana natura, umbra facta dispensatione. Venisti enim (inquit) tu pulcher & decorus patreulis meus, ad lectum nostrum factus umbratus. Nisi enim ipse seipsum obumbrasset serui forma, operto mero radio Divinitatis, quis tuam sustinuisse apparitionem? Nullus enim vnquam videbit faciem Domini & vivet: venisti ergo speciosus, sed talis effectus, vt te possemus succipere. Venisti adumbratis radijs Divinitatis, integumento corporis. Quomodo enim potuisset mortalis natura & in quam cadit interius, coniungit cum ea quæ interitui minimè est obnoxia, & ad quam non pater aditus, nisi nobis viventibus in tenebris, umbra corporis fuisset interiecta inter lucem? Lectum autem nominat vt sponsa, tropica significatione interpretans humanæ naturæ cum diuina contemperationem. Quomodo etiam magnus Apostolus despondit nos virginem Christo, animamque ornat tanquam sponfam, & deducit duorum coniunctionem ad vniū corporis vniū: & magnum dicit esse mysterium ac Sacramentum vniūem Christi cum Ecclesia. Cum enim dixisset, *Erunt duo in vnam carnem*, subiunxit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Propter hoc ergo Sacramentum, lectum anima Virgo, nominavit cum Deo coniunctionem ac societatem.]

Præsuppositio ad exponendam Verbi in Incarnatione tenebrationem. Deus lux vera.

295. Exhibuimus hæc Verbum inumbratum. Nunc subiungenda est eius tenebratio, quæ inumbrationis consummatio est, cum umbra portiunculam lucis admittat, quam profus excludunt tenebræ. Vt autem Dei Verbi obtenebratio per coniunctionem cum humanitate fiat perspicua, recolendum est, Verbum Dei cum sit Deus verus, non posse commodius à nobis in hac vita concipi, quam specie lucis. Quod enim Autor Theolog. Egypt. lib. 1. cap. 4. rectè perspicit; nullum est è sensibilibus, quod commodius delineare nobis vtrumque possit superiora quàm lux, ob summam illius qualitatē puritatem, quæ è corporibus cælestibus non excluditur, sicut ceteræ inferiores qualitates. Cum ergo hic quamdiu anima corpori colligatur, non possumus in spiritualia ferri absque interiectu corporei alicuius simulachri; (id enim est quod Iliodo, Pelas, ait lib. 2. epist. 3. & 5. sapientiam propinare hic nobis vinum mixtum, & quod ait S. Dionys. diuinum radium hic non affulgere nobis nisi velatum: ) propterea intelligentes Deum, speculamur phantasma lucis, sequentes Scripturæ ductum, in qua Deus vt loquitur S. Chrysost. balbutiendo nobiscū, diuina & superiora omnia, *Lucis* vocabulo exponit: *Deus lux est*, ait de Deo Ioannes; & de Verbo *erat lux vera*. Angelos *luminia* appellat Scriptura. Vnde Deus *Pater luminum* dicitur; & boni, *Filij lucis* appellantur: Hoc imitati sacri Doctores, Deum specie lucis immensæ solent exhibere. Agit de huiusmodi imagine Dei Simon Magus 2. recognit, approbante ibidem S. Petro. Agi: ibidem de ea S. Dionys. cap. 2. & 4. Diu. Nom. tria adiuncta, lumen scilicet, splendorem, & calorem discernens, quæ tribus sacræ Triadis personis respondere docet. Hoc est lumen trifidum iuxta Nazianz. orat. 43. cuius consilij Græci, referente Ioanne Cyparissiotæ, decade 6. cap. 9. Vesp



peri cum instante nocte lumen accendebatur, pro salutatione & fausta serotini temporis appreciatione inter nos recepta, acclamabant: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto*. Hic est splendor supra omnes fulgores, gloria supra omne præconium, ait Cassiod. l. de anima cap. 10. probans Deum esse lucem. Et alia quidem nonnulla præter lucem dicere licet esse lucida, esse autem lucem, de nullo siue homine siue Angelo, quantumvis perfecto, fas est dicere. Imò de quouis infra Deum, fatendum est cum Euangelista *non erat ille lux* (inquit S. Thom. 1. Tim. 6.) Sed de diuinæ lucis infinitate videndus Autor libri de cognitione veræ vitæ cap. 8. quem deslorauimus in Natur. Theol. distinct. 7. num. 145. præmissis num. 144. præmultis, de analogia Dei ac Solis: quam nominatim quoad diuinum Verbum, fusè exhibet Iustinus l. de Trini. Et vtrumque adumbrasse visus est Plato, vocans Solem *Filium boni*.

*Fabula Manichæorum, de luce tenebrata.*

296. Sic splendens apud Deum, Deus Verbum, vt nobis esset salus, tenebrari quodammodo per nostræ fuliginis assumptionem dignatum est. [Figmenti sui miseris Deus (ait Gregorius 2. Epistola 1. ad Leonem Haurum.) de cœlis descendens in ventrem Virginis Mariæ ingressus est, cum in eius vtero verum lumen eluxisset, & seminis loco lumen factum est caro, & in Iordane fluuiio baptizatus est & nos quoque baptizauit.] An alludit ad lucem igneam ex aquis emergentem in Christi baptismo, vt Iustinus in Tryphone testatur? Vt vt sit, lumen in vtero factum est caro atque adeo tenebratum est. Rem expono allegatione fabulæ quam ex Manichæis refert S. Aug. Hæc. 46. & distinctius Damascenus dial. contra Manich. locum ex parte dabo cum de Christo victore. Scio Manichæismum, *Marcorem Ecclesiæ* dictum à S. Basilio hom. 2. Hexaem. Nec me latet S. Leonem serm. 5. de Ieiun. & S. Cyrillum Catech. 6. & 16. Manichæos tanquam errorum & fabulamentorum omnium sententiam traducere: iuxta Isidorum verò Pelusiotam lib. 1. epist. 4. 13. ipsum Diabolum impietate longè superatunt Manichæi. Sed quid verat ex rubis flores speciosissimos, & ex tribulis sicut legere, quando scriptura quoque, vt notauit Nyss. hom. 9. in Cant. à fabulis Ethnicis, cum ita nostra interest, non abhorret? Et profert cornu Amalthæe de quod apud Iobum. & emissiones cinnamomi Cant. 4. iuxta fabulam de vi cinnamomi ad athenum feruens reslinguendum. Id ipsum alter item Gregorius confirmat 9. mor. c. 9. proferens Arcturum, & Orionas, & Hyadas, & interiora Austris, de quibus apud Iobum. Quia ergo exactis per Christum fabulis Ethnicis, successerunt hæreticorum fabulæ, vt philosophatur Philotheus initio encomij trium Patrum, ipseque Apostolus disertè ait hæreticos ad fabulas conuerti; non refugiam narrationem Manichæorum plusquam fabulosam ad mysterij in quo versamur adumbrationem. sic enim quod factum volebat S. Hieronymus, *Mentientina absolute de decore, mendacia proficiunt veritati*. Manichæi ergo fabulati sunt, Deum & materiam per infinita sæcula hæsisse in sedibus suis. Deum vocabant plenam & puram lucem, vitam & motum. Materiam verò tenebras, mortem, & stuporem ipsum. Post infinita sæcula, contigit emoueri loco materiam, & inter eius partes concitari tumultum intestinum, ac seditionem longè maximam, quibusdam partibus alias insequentibus, ad regionem vsque lucis, quam Deo inhabitanti concedebant Manichæi. Inhibitus itaque Deus progressionem seditionis innoxie inter partes materiae, emisit à se formam cui nomen fecerunt *Matri vitæ*; vnde elementa & homo, quibus cum forma prædicta

tenebras aggredi & conflictu decernere aggressa est; sed ferè in casum; Imò non absque dispendio ingenti. Nam homo, iprimarius matris vitæ commilito, inter confugiendum, tenebris implicitus est & inre belli captiuatus. Quare hominis captiui perpetua interpellatione fatigatus Deus, alterum contra tenebras belli ducem submisit, cui nomen *Spiritus viuens*. Hic à Deo cum descendisset ad hominem, eumque ex potestate tenebrarum eripuisset, dispendium tamen ali-quod Deo intulit: Nam Dei partem tenebris permisceri ad conflictum peragendum necesse fuit. Eam verò (sui partem Deus, in tenebris ad tempus relictam, voluit obtenebratam & caliginosam, donec tenebrarum plena clades & integrum exitum consequeretur. Hactenus fabula Manichæorum, quam tamen si potentis mendacis scateri nemo non videt, tamen quod Athenagoras initio libri de resurrectione, & Lactant. lib. 1. instit. cap. 1. rectè obseruauerunt, lolet fabulis aliqua semper veritas subterni, cuius interpolatione & adulteratione, concinnatur fabula.

*Accommodatur ad incarnationem.*

297. Quod ergo de Deo lucem inaccessibilem inhabitante, & in summa quiete apud seipsum degente habet hæc fabula, admitto Metaphoricè vt verissimum, & ab Apostolo traditum; itemque à Philone l. de Cherub. vbi à summa Dei quiete, dictum (abbatum Domini philosophatur. Partes materiae quæ post sæculorum infinitatem conflixerunt, intelligo Angelum tenebrarum, & hominem, Nam tamen Angelus spiritus est, tamen præ Deo, corpus & materia dicitur. Compactus quippe est potentialitate quæ materiae & corporis rationem habet. Idque voluisse videtur Faustus, cum negauit creaturas illas esse incorporeas, Captiuauit rector tenebrarum miserum hominem: sed miserum tandem hominis Deus, post legem, (quæ licet optima, cessit homini in mortem & exitum, tantum abest vt cum captiuitate exemerit,) submisit Filium suum qui Domini virtus & brachium dicitur in Scripturis, cuius aduentu homo captiuitate erutus est; sed cum diuini Verbi obtenebratione aliqua: quod significatum à Psalce verbis illis, *Caligo sub pedibus eius*, affirmat S. Chrysostomus Pal. 17. [Caligo (inquit) sub pedibus eius. Operuit enim eos regimento carnis.]

Idem enigmaticè expressum à Propheta fuisse, censuit Richardus Victorinus l. de incarnatione Verbirogatus à S. Bernardo interpretationem oneris Dumma. Iuxta Richardum quippe, interpellatus Deus custos hominū, *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Quid tandem hac tam densa & terra nocte, hocque tenebrarum regno fiet? Respondet, in proximo esse, vt hominem liberet, aduentu illius qui cum lux esset, admixtione tenebrarum offundendus erat. *Venit* (inquit) *mane & nox*, coniungendas diuino lumini per incarnationem tenebras significans. Qui videtur item esse commentarius, perillustis prophetiæ quæ habetur Michæ 4. vbi Propheta prospiciens Christi aduentum in tanta nebulositate ac tenebricositate, alloquitur turrim Ader in qua primum Deus tenebris latibulum suum positurus, erat conspiciendus, defixusque hæret admiratione quod tantus splendor maiestatis atque ad illas tenebras & vilitatem ac obscuritatem ob salutem nostram demittendus esset sponte sua. *Et tu* (inquit) *turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet; & veniet potestas prima, regnū filia Hierusalem*. Turrim Ader quæ erat in Bethleem, vbi Dauid præcius inuenit locum Domino, iuxta S. Cyrillum t. 6. conc. Eph. cap. 4. ait filia Sion fuisse nebulosam, id est interpreti Hieronymo, carnalibus Iudæis despectam, tanquam locum nihili, & nigrum in millibus,



bus, siue familijs Iuda. Vsq̃ ad illam obsecutatem venturum incarnatum Dei Verbum quod est potestas prima & regnum promissum filiae Ierusalem demitatur Propheta: & cum primò pronuntiasset venturum Dei Verbum ad eam vsq̃ obsecutatem, quasi veritus lectorem diffidentiam, confirmat iterata pronuntiatione, omnino illuc vsq̃ venturum potestatem priorem propter nos. Censuerim quoque, hanc esse diem illam quæ nota est Domino, Zach. 14. quæ neque est dies neque nox. Nam quamvis eum locum S. Cyrillus Carth. 13. & Theodor. ibi. ac Clemens Romanus 5. Constit. cap. 13. ad tenebras passionis Christi referant: tamen totus contextus aptius cadit in diem ipsius Verbi quod est dies die, vt S. Fulgentius homilia de duplici Christi natiuitate, interpretatur. Ergo lux commixta est tenebris nostris, vt absorbeat quod mortale est à vita: ea inquam vita, quæ etiam lux hominum & à qua alienatos pronuntiat Apostolos, eos qui tenebris obsecutatem habent intellectum.

Valeis verò an non subitorem nostræ huius tenebræ lucis per incarnationem, significare voluerit Clemens Alex. lib. 5. Strom. cum illud Plalmi tertij, *Ego dormiui & somnum cepi*, ad incarnationem accomodat, quod vt somnus nocte capitur, ita per incarnationem ad nostras tenebras deuenit Verbum. Clementis oratio eo loco huiusmodi est. [Rursus autem Plato quoque in septimo de Republica eum qui est hic diem, nocturnam appellauit, propter mundi Principes, vt sentio, harum tenebrarum. Somnum autem & motem, animæ descensum in corpus, eo modo quo Hæcilius. Numquid autem de Senatore hoc prædicat Spiritus, dicens per David. *Ego dormiui & separatus sum; excitatus sum quoniam Dominus me suscipiet.* Non solum enim Christi resurrectionem, ex somno exortationem, sed etiam Domini in carnem descensum, somnum vocat allegoricè.] Quod Plato dies nostrorum, nocturnos appellabat, ei nostræ quam dicebam nocti volumbræ, peraccommodatum est, spectatque ad hanc rem antiquus vsus Gallorum & Germanorum, quos ex Celare & Tacito obleruat Sirmundus ad l. 2. epistolarum Goffidi Vindoc. in 27. spatia temporis non numero dierum (vti nunc assollet) sed numero noctium desinere solitos.

*Quomodo incarnationis tenebra tandem discussæ. Vnde doctrinæ.*

298. Perstitit in tenebris & caligine Dei Verbum, ut exiret vsq̃ suum ex hac vita per ascensionem. Gregorius quidem Nyssenus Epistola ad tres mulieres hoc demonstrat, Dei lumen ita iunctum esse nostræ caligini vt tamen semper manserit splendidissimum, potiusque tenebras carnis suæ illuminaret. Nihilominus quoad nos, lux Dei aliquatenus pressa mansit vsq̃ ad ascensionem. Tunc enim quamvis carnem quam semel assumpsit nunquam dimisit, tamen tabernaculum hoc suum in Sole posuit. Vnde S. Gregorius 27. mor. cap. 11. ad Christi ascensionem refert illud Iobi 36. *Annunciat de ca (luce) amico suo quod possessio eius sit, & ad campum ascendere.* Hoc autem in suo nobis exiret annunciat Sol iusticiæ, annuntiatione longè illustriori quàm sit ea quæ soli materiali attribuitur in eorum suo. Eccle. 41. *Annunciat inquam de se in exiret suo Sol Christus, quod lux sit eius possessio: non modo quia omni tenebrarum nostrarum siue ignobilitatum tenebrarum admixtione quantum superlucet vera humanitate fieri potest liberatus est; sed etiam quia lucem possidet longè verius quàm Oromasdes ille Persicus, cuius anima veritas, corpus autem lux esse fingebatur. Et dicuntur sanè edi in lucem libri, cum vulguntur; dicuntur item educi ad lucem qui è carcere vel spelæo tenebricolo emergunt; dicitur puer è*

*Theoph. Raynaud. Christus.*

materno vtero prodians emitti in lucem. Magistratus denique dicitur versari in luce Reipublicæ, quæ est lux illa quam ab impijs auferendam cõtestatur Iob. Christi. stus igitur cælos subiens, possessionem lucis accepit, quia & liber grandis est, tunc omnibus ad legendum expositus: & è mundo exiit, quem carceris specie exhibet. Ad martyres Tertullianus: nec aliter se habet ad nos præ cælo, quàm maternus vterus ad puram auram, vt Seneca quoque vidit epistola 102. & melius S. Chrysostomus hom. 20. in Acta, & Nyssenus orat. de mortuis. Vnde nomen *natalis sanctorum*, cum hinc exeunt, vt notat S. Bernardus ferm. de S. Ioanne Bapt. & Nicol. ad Conf. Bulgat. cap. 5. Potestas autem publica Christi, verbis illis eius sub discessum expressa est. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Speiæ post tenebras lucem Verbi Dei imitatione, quisquis tenebras quas Deus in incarnatione latibulum suum posuit, adamauerit. Nam quod Esther 11. post diem tenebrarum, exortam lucem prodit, ad omnes æquè iustos, pertinet. Planè exortetur in tenebris lumen omnibus rectis corde, dummodo non ante lucem & tempus discutiendarum tenebrarum, surgere ac attolli velint. Et hic esto lectissimus & optatissimus huius doctrinæ fructus, de quo frequenter S. Gregorius.

## CAPUT VI.

*Verbum effusum.*

299. *S*ub typo duplicis effusionis, expressam in Scripturis, iuxta Patres, Verbi cum humanitate coniunctionem inuenio. Altera est vnguenti seu olei, altera aquæ.

*Prior Verbi effusio, specie olei.*

De prima est locus celeberrimus Cant. 1. ybi sponsa compellans sponsum, ait illi. *Oleum effusum nomen tuum.* Et quamquam interpretes, vt videre præsertim est ibi apud Delrium, in literali interpretatione, altercentur de quo nomine id dicitur; communiuseque sit, vt id de Christi seu Messie nomine accipiat, potius quàm de nomine Iesu de quo id exponit S. Bernardus; tamen res eodem recidit, quia notio vnguenti, seu olei effusi, quàm nomen *Christi*, siue *munus* præfert in actu quasi signato, continetur in actu excicito in nomine Iesu, quo significatur salus humana, non comparabilis nisi per hominem, qui simul Deus sit vnguenti Deitatis delibutus; quod verè habuit Christus Dominus: in quem proinde oleum sanctum rectè pronuntiat effusum, & nomen eius, effusum oleum rectè dicitur. Audi Petrum Cellensem l. de panibus c. 24. cum agit de pane inuncto. [Quis cognoscit vnguentum bonitatis Domini, in consilio disponentis se incarnati? aut quis in conficiendo ipsam assumptionem nostram, consiliarius ei fuit? aut quis in redemptione humani generis, pigmentarias species saluationis nostræ dedit illi? Ex odore quidem huius vnguenti repleta est, & Ecclesia quæ in terris peregrinatur, & sequitur sponsum in odore huius vnguenti; & ipsa aula cæli: quia in initio viarum Dei, cum diceretur *Fiat lux; & facta est lux*, genere sublimiori, bonitate excellentiori, vsu & munere proposiori, ditata est creatura cælestis, id est Angelica diuinæ cognitionis dono, & in ipsa nostra reparatione, restaurata pleno numero. Aliiter porò vngitur vel vritur delicijs Paradisi Dei, ipse Filius olei: sed, qualiter; non est nosse alius, præter te Domine, cuius nomen oleum effusum, & de cuius cornu (id est humanitate glorificata,) superfluunt impetu redundant ad homines, emissiones gratiarum. Totum siquidem cornu olei (id est, gratiæ plenitudo effunditur in capite filij hominis, quia